



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Inhaltsverzeichnis

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

- I. *Si persone divine propriū nomē possint habere.*
 II. *Quod sacerdotium majus sit regno.*
 III. *De primatu apostolicæ sedis.*
 IV. *De electione & qualitate eligendorum.*
 V. *Ne translatio electorum in Episcopos, post confirmationem, præter assensum Romani Pontificis fiat.*
 VI. *Quod Metropolitanus ex justa causa potest vices suas in consecratione Episcopi suo suffraganeo delegare.*
 VII. *Ne simplices sacerdotes quæ solis Episcopis competunt ex consuetudine sibi usurpent.*
 VIII. *Quod tempus suspensionis à sex mensibus per Lateranense Concilium in ecclesiasticis beneficiis conferendis positū suppetat.*
 IX. *De procurationibus non augmentandis.*
 X. *De procurationibus Legatorum apostolicæ sedis.*
 XI. *De decimis.*
 XII. *De nunciis Hospitaliariorum cruce falso signatis, & laicis qui officium predicationis sibi usurpant.*
 XIII. *De hereticis & eis qui eos receperunt.*
 XIV. *De falsariis.*
 XV. *De rescriptis & eorum interpretationibus.*
 XVI. *De abrenunciatione.*
 XVII. *De circumventione.*
 XVIII. *De his quæ vi metusve causa geruntur.*
 XIX. *De licitis & illicitis juramentis.*
 XX. *De notoriis & canonica purgatione.*
 XXI. *De inquisitione culpæ.*
 XXII. *Quæ probationes in simonia productæ recipiantur.*
 XXIII. *De testibus ad exceptiones probandas & infamiam alicujus purgandam productis.*
 XXIV. *De testibus ante litem contestatam productis & appellatione.*
 XXV. *De crimine usurarum.*
 XXVI. *De restitutione.*
 XXVII. *Si quis deficiat in exceptione probanda.*
 XXVIII. *Quod judiciarius vigor gratis sit omnibus exhibendus.*
 XXIX. *De sententia & re judicata.*
 XXX. *De sententia excommunicationis.*
 XXXI. *De his qui excommunicati ad ecclesiasticos ordines promoventur.*
 XXXII. *De his qui minores ordines & subdiaconatum vel duos sacros simul recipiunt.*
 XXXIII. *De Clericis qui favorem pugnantibus præstant & homicidiis sponte vel non sponte commisis.*
 XXXIV. *De his qui ad Ecclesiam confugiunt.*
 XXXV. *Quod monasteria monachorum possint in canonicas regulares converti.*
 XXXVI. *Si regulares ad seculares Ecclesias possint in Prælatos assumi.*
 XXXVII. *Quod Canonici regulares ad religionem Hospitaliariorum transire non possint.*
 XXXVIII. *De voto & habitus susceptione.*

XXXIX. *De matrimonio.*
 XL. *De legitimis filiis.*

TITULUS PRIMUS.

SI PERSONÆ DIVINÆ
 proprium nomen possint habere.

INNOCENTIUS PAPA III.
 Petro Compostellano Archiepiscopo.

Apostolicæ servitutis officium, quo sapientibus sumus & insipientibus debitores, usque adeo mentem nostram variis occupationibus aggravat, obtundit ingenium, & deprimit intellectum, ut vix consultationibus tuis, præsertim super tam subtili & sublimi materia, nos permiserit respondere. Verum quoniam illius caritatis sinceritas, qua te inter fratres & coepiscopos nostros speciali prærogativa diligimus, non permittit ut quicquam tuæ fraternitati negemus quod facturi essemus ad instantiam alicujus, quasi furantes horulas occupationibus ipsis, quæ nobis solito plus incumbunt, & otium utcumque captantes, ut non otiosè tuas videamur litteras audivisse, (Quamvis intalibus, juxta verbum Apostoli Jacobi ammonentis ut cum quis indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter & non impropere, & dabitur ei, magis recurrendum sit ad orationis suffragium quam ingenium rationis) quod nobis Dominus inspiravit tuis consultationibus respondemus. Credimus igitur hæc vocabula, *Pater & Filius & Spiritus sanctus*, non esse propria, sed communia, tanquam nomina relativa, personas utique appellantis, sed significantia nationes: quamvis ad interrogationem hujusmodi, *Quis genuit filium?* *Pater* respondeatur, quia secundum theologiam disciplinam, per hanc interrogationem de propria qualitate non quæritur, sed de personali proprietate. Unde cum quæritur quis genuit Filium, *Pater* congruè responderetur: quia utique nomen personarum patrem appellat, sed significat notionem quæ patris personam distinguit. Habent enim singulæ facultates proprias rationes, nec in eis uno modo significant nomina semper & verba, sicut tua fraternitas non ignorat, quæ non solum est in his sufficienter instructa, verum etiam alios sufficienter instruxit. Utrum autem personæ divinæ proprium nomen

Edita ad Ant.
 August. in Ad-
 dendis ad Ter-
 tiam Collect.
 Decretal.